



# The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *URBIS*

(*TEMPLUM S. MICHAËLIS ARCHANGELI*)\* *TEMPLUM S. MICHAËLIS ARCHANGELI ROMAE, IN REGIONE «PIETRALATA», AD DIGNITATEM DIACONIAE ATTOLLITUR.* Inter cetera Romanae Sedis ornamenta antiquissimi presbyterales tituli et diaconiae sunt, quae Summi Pontifices Decessores Nostri sollicita cura servare atque S. R. E. Cardinalibus assignare consueverunt, eo sane consilio ut Romana Ecclesia, sicut est Apostolorum gloria perinsignis, ita Purpuratorum Patrum ministerio condecoraretur. Cum tamen augendo, ob peculiares nostri temporis necessitates, Cardinalium Senatui titulorum et diaconiarum numerus in praesens Romae existantium impar sit, censuimus, praeter alia, curiale templum Deo sacrum in honorem S. Michaëlis Archangeli, Romae, in regione Pietralata, situm ad gradum et honorem diaconiae attollere, utpote quod in urbis parte civium frequentissima exstet, quae magna cura est prosequenda. Huic igitur templo summa Nostra potestate *diaconiae* honorem et dignitatem concedimus, omnibus eidem factis privilegiis quibus ceterae in Urbe diaconiae iure vel consuetudine fruuntur, contrariis minime obstantibus. Volumus praeterea ut hae Litterae Nostrae, eius cura qui ad praesens templo S. Michaëlis Archangeli praeest, coram clero populoque legantur, cum primum in sacram aedem diem festum de paecepto congregabuntur celebraturi. Cuius rei, postquam rite fecerit, documenta exarentur quae ad Sacram Congregationem Consistoriale cito mittantur. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri paeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto mensis Februarii, anno Domini millesimo nonagesimo sexagesimo quinto, Pontificatus Nostri altero.*

IACOBUS A. Card. COPELLO

S. R. E. Cancellarius

CAROLUS Card. CONFALONIERI

S. Congr. Consistorialis a Secretis

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regensloosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, Protonot. Apost.*

*Caesar Federici, Proton.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LVII (1965), n. 7, pp. 494-495 © Copyright 1965 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana